


1848



AD

p. 9

# SACRA ANNIVERSARIA

IN

## SCHOLA THOMANA

DIE XXXI. DECEMBRIS A. CHR. MDCCCXLIX.

HORA VI. VESPERT.



PIE CELEBRANDA

INVITAT

**GODOFR. STALLBAUMIUS**  
RECTOR.

---

IN EST ORATIO

*De vestigiis divinae rerum humanarum gubernationis in turbulentorum  
temporum motibus et conversionibus maxime conspicuis.*

---

LIPSIAE

LITERIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

LEIP  
11 (1850)

AD

SACRA ANNIVERSARIA

IN

SCHOLA THOMANA

DIE XXI. DECEMBRIS A. CHR. MDCCCLIX.

HORA VI. VESPERT.

THE CEREBANDA

INVITAT

GODOFR. STALLBAUMIUS

RECTOR.



IN EST GRATIA

De vestigijs divinae veterum humanarum institutionis in turbulento  
temporum motibus et conversionibus maxime conspicuis.

LIPSIAE

LITHEIS STABITII, TYPOG. ADAM.

\*<sup>o</sup> Quod saepenumero in rerum natura accidere animadvertimus, ut post diuturniorem coeli clementiam et serenitatem repente et improvise saeviores procellae ac tempestates exoriantur, quae non solum singulos singulorum agros, saltus, domus, vehementius vexent, sed etiam amplissimas orbis terrarum regiones ingentibus saepe stragibus editis ita affligant, ut tota earum facies plane alia extitisse et in omne tempus commutata esse videatur; idem etiam in communi hominum vita subinde ita evenire, satis compertum habetur, AA., quandoquidem omnis superiorum saeculorum memoria plurimis luculentissimisque exemplis demonstrat, in illa quoque identidem insolentiores fieri rerum commutationes, quae propter vim et magnitudinem suam non tantum in breve tempus, sed interdum in multas hominum aetates futurae fortunae in utramque partem momentum faciant. Cuius quidem rei inprimis etiam hic annus testis est, quem nunc ipsum laudabili maiorum instituto piis precibus et supplicationibus condere animum induximus. Habuit enim ille profecto plurima, quae eam rem nos commonefacerent gravissime, siquidem tam rerum praesentium eventus, quibus insignis fuit, quam rerum olim gestarum recordationes, quas in animis nostris renovavit, tales fuerunt, quae unumquemque vel invitum ad gravium ac memorabilium temporum rationes considerandas moverent ac perducerent. Nam primum quidem fuit hic annus

\*) Habita haec oratio est ultimo die anni p. Chr. n. 1848.

ducentessimus, ex quo aliquando confecta nobilissima illa pace, quae a Guestphalis nomen accepit, ingentes ac diurni motus compositi sunt, qui ex religiosae libertatis studio nati etiam respublicas atque civitates Europae plurimas vehementissime conquassarunt. Cuius quidem temporis magnitudinem et gravitatem quis est quin ultro largiatur eam extitisse, ut ad omnem insecutorum saeculorum fortunam plurimum valuisse iudicandum sit? Enimvero certatum sane tum paene per integrum saeculum ac dimidiatum fuit de rebus publice privatimque maximis, atque ita certatum, ut vere dicere liceat, posteriorum saeculorum libertatem, humanitatem, eruditionem denique, ex illius temporis discriminibus magnam partem fuisse suspensam. Verumenimvero singulari fortuna ita accidisse videmus, AA., ut qui annus tristissimis illis turbis atque cruentissimis bellis, quae ante haec duo saecula quum alias terras tum inprimis Germaniam nostram misere sollicitaverunt, aliquando fines ac terminos constituit, idem etiam tantae rerum omnium perturbationis atque conversionis initium retulerit, ut viri cordati ac sapientes non levibus de caussis augurari videantur, iamiam rursus instare ea tempora, quae tantum non novum plane atque antea incognitum totius vitae civilis ordinem allatura sint. Quid enim? nonne brevi hoc tempore ea vidimus, quae paullo ante paene infanda habebantur? nonne audivimus, quae posteris vix videantur credibilia? nonne experti sumus, quae in Germania quidem inde a multis saeculis, imo vero nulla unquam aetate, ita evenisse verissime dicere liceat? Enimvero vel frangi vel vehementer imminui vidimus opes regnorum et imperiorum amplissimas, quorum potentia certe tanta fuit, ut diutissime adhuc salva et incolumia stare posse viderentur. Exoriri vidimus adversus eos, qui summae rei praecessent vel cum minore aliquo essent imperio, gravissimas contentiones atque altercationes, quales superiores aetates in patria nostra vix unquam viderunt. Labefactari

vidimus repente et improvise veterem disciplinam, qua populi utebantur, tam privatam quam publicam, ut nulla pars vitae communis reperitur, quae non subierit maximas mutationes aut graviter affecta sit. Gliscere denique vidimus insolentius, idque non in una tantum aut altera civitate, sed paene per omnes universae Europae terras, ea rerum novarum studia, quae certissime arguant vulgo contemni iam consuetum vivendi morem, atque novas leges, nova instituta, novas communiter vivendi regulas atque normas non tam desiderari quam posci atque flagitari. Quum igitur haec sit rerum nostrarum conditio, AA., quumque non modo rerum praeteritarum, sed etiam praesentium, animadversio mentes animosque nostros imprimis etiam hodierno die ad cogitationem et meditationem eorum perducere videatur, quae ex gravibus tempestatibus vel olim sint consequuta vel postero tempore consequutura sint; videor mihi facere quod huius diei solemnitate non indignum sit, si ex hac ipsa re dicendi argumentum repetam. Constitui enim breviter explicare *de vestigiis divinae rerum humanarum gubernationis in turbulentorum temporum motibus maxime conspicuis.* Quod quidem orationis meae argumentum etsi admodum popolare est, ut vix de eo in medium afferre possimus quod habeat aliquam novitatis gratiam et commendationem, tamen quoniam vel ad pietatem erga deum excitandam vel ad consolationem malorum, qua his temporibus vel maxime indigemus, animis nostris afferendam imprimis idoneum videtur, nec Vobis illud omnino improbatum iri speramus atque confidimus.

Iam vero ne qua dubium relinquatur, AA., quid nobis propositum sit aut quorsum spectet nostra disputatio, certe non erit supervacaneum monere, minime nos illud agere, ut providentiae divinae vias ac rationes tamquam ex obscuro in lucem protrahantur et ex temporum turbulentorum rationibus dilucidius illustrentur. Est enim hoc

profecto maius quiddam atque difficilius, quam quod a quoquam mortali aut prudenter suscipi aut feliciter peragi posse videatur. Quis enim divinorum consiliorum sapientiam animo suo comprehendat? aut quis tam audax et temerarius sit, ut eam putet ita a se cognosci et dilucidari posse, ut adeo, quid in singulis vitae humanae casibus ei tribuendum sit, accuratius definire certiusque constituere audeat? Nimirum felices praedicandi sunt, si quibus liceat in tanta re ad probabilem aliquam animi divinationem et quasi felix augurium pervenire, quo aliquod saltem nanciscantur praesidium ac fulcimentum, cuius ope sustentati iudiciorum atque actionum suarum rationes moderentur. Quocirca nihil nisi indicia quasi et vestigia persequi conabimur, unde divinae rerum humanarum gubernationis fidem vel repetere vel confirmare liceat, idque bona venia Vestra, AA., eo modo facere instituemus, ut tam caussis et originibus quam effectibus et eventis turbulentorum atque periculosorum temporum considerandis effici hoc ostendamus, ut ad opinionem providentiae divinae animis nostris amplectendam permoveamur. De qua re ut mihi verba facienti benevole aures praeberere velitis, hoc illud est, quod Vos iterum iterumque omni, qua par est, humanitate et observantia rogatos velimus.

Itaque primum quidem minime videmur errare aut falso statuere, AA., vel *causas* et *origines* eorum temporum, quibus insolentiores eveniunt rerum conversiones, eiusmodi esse existimantes, quae divinam esse rerum humanarum curam et gubernationem credere nos iubeant. Quaerentibus enim nobis atque circumspicientibus, quales illae fere natura sua soleant esse, certe neutiquam dubium videri poterit, multum eas discrepare ab iis caussis et initiis rerum, quae crebrius in vita hominum quotidiana animadvertuntur. Non enim illae repeti possunt a singulis singulorum hominum moribus, consiliis aut actionibus; non simplices sunt aut unius generis; non sunt omnibus in propatulo,



ut facili negotio observari, cognosci ac iudicari queant; non denique angustioribus temporum aut locorum limitibus inclusae tenentur. Imo plerumque tam late patent, ut prope infinita quadam rationum varietate contineantur, habeantque nescio quid reconditi et abstrusi, quod omnem fere quaerendi iudicandique operam eludere videatur. Quippe proficiscuntur eae fere a iunctis innumerorum hominum universorumque populorum studiis et cupiditatibus; nituntur multis casibus et eventis prorsus inexpectatis et quae nulla humana sapientia prospici potuerint; non circumscriptae sunt exiguis temporum locorumque spatiis, sed porriguntur saepe per universum terrarum orbem, ac non aetatum, sed saeculorum terminis finiuntur; denique cum infinitis saepe rerum innumerabilium momentis tam varia tamque multiplici nexae sunt necessitudine, ut earum rationes et latissime diffusas esse et mentis humanae intelligentiam plane fugere fateri debeamus. Quod quidem vere ita a nobis iudicari, AA., vel levis, opinor, eorum temporum docebit consideratio, quae etiam vulgi iudicio pro magnis atque insolentium eventorum perquam feracibus haberi consueverunt. Quid enim? num causas interitus publicae libertatis eius populi, cui uni potissimum hodie quoque cultum humanitatis acceptum referimus, hoc est Graecorum inprimisque Atheniensium, eas fuisse arbitramur, quae vel a singulis casibus infelicibus vel a callidis regis Macedonum consiliis clandestinisque insidiis suspensae fuerint? Erraverit vero, multum erraverit, si quis ita statuatur; nam primordia mali istius sine dubio in temporibus multum antegressis quaerenda sunt, quibus mira fortuna ita acciderat, ut singularis rerum omnium faustitas etiam semina malorum afferret, unde denique ortum est universae gentis exitium. Ista enim erat effectum, ut Graeci, felicitate sua abusi, relictis pristinis virtutibus, in teterrima vitia, luxuriam et molliem, malam ambitionem, partium studia, legum publicarum atque patriorum institutorum contemtionem,

prolaberentur, quo denique fieri non potuit quin post nimiam libertatis cupiditatem tristissima servitus afferretur. An vero censebimus, AA., ingentes illas populorum migrationes, quibus ita factum est, ut non modo gentes nationesque plurimae sedes suas ac domicilia mutare cogerentur, sed etiam vetustissima humanitatis instituta subverterentur, mores et leges antiquitus sanciti abrogarentur, denique amplissima regna et imperia conciderent, an igitur censebimus, turbas istas, ad omnem insequentium saeculorum fortunam perquam fatales, subito ac repente prorupisse, ita ut caussae earum in medio positae neque longius repetendae sint? Enimvero quum in obscuro lateat, cur feri illi populi, qui rebus Europae tantam mutationem attulerunt, pristinas sedes suas deseruerint, tum etiam si quis mente animoque suo eorum populorum historiam lustraverit, quorum civitates per illos eversae sunt, horum conditionem iam inde a multis saeculis eam extitisse reperiet, quae fieri non posset quin aliquando cladem ipsorum atque ruinam funestissimam acceleraret. Ac ne in una tantum antiquiorum temporum memoria replicanda subsistamus, AA., considerate animis vestris etiam caussas atque origines eorum motuum, qui ante hos ducentos annos post saevissimos diurni belli furores bonis omnibus optantibus atque gratulantibus tandem sedati sunt. Quid enim? nonne illi multis multorum saeculorum casibus, eventis, studiis, consiliis, excitati et tamquam aliti sunt, usque dum denique totum paene terrarum orbem concuterent concussoque desideratam diu religiosam libertatem, civilem dignitatem, denique novam rerum prosperitatem afferrent? Enimvero ita est, AA.: sicuti in rerum natura verni temporis amoenitas, qua omnia denuo reviviscere videntur, non solet comparere nisi post diuturniorem hiemis tristitiam et asperitatem; aestatis autem atque autumnus copia et ubertas non prius adventat, quam vere gemmae ac flores in plantis et arboribus enituerunt; ita etiam

magni atque potentes magnarum rerum eventus plerumque nituntur  
caussis remotioribus, quae latissime per varias vitae humanae partes  
diffusae ne saeculorum quidem spatiis terminantur. Quid vero? nonne  
id ipsum vere recteque eiusmodi esse iudicabimus, unde divinae rerum  
humanarum gubernationis non tam obscuram coniecturam capere quam  
plenam certamque fiduciam assumere liceat? Etenim tantam caussarum  
multiplicium et varia necessitudine coniunctarum vim atque copiam  
spectantes et quamnam eae primitus originem habuerint nobiscum  
considerantes facile certe in eam discedemus sententiam, ut ista  
omnia nec fortuiti casus temeritati nec naturae necessitati nec denique  
mentis humanae prudentiae ac sapientiae tribuenda esse nobis persua-  
deamus. Nam humana sapientia quidem multo est imbecillior et infir-  
mior, quam ut vel satis dispiciat saeculorum res gestas, nedum ut ea-  
rum caussas certo constantique consilio regere aut moderari possit.  
Naturae porro necessitatem quis est quin coecam esse largiatur, ut  
omnem omnino auferat arbitrii consiliique libertatem, quam tamen in  
tam immensa innumerabilium caussarum coniunctione maximam plane-  
que admirabilem animadvertimus? Fortuna denique nullam omnino  
novit legem, nullum ordinem, nullam consilii alicuius constantiam ac  
perpetuitatem, ut a tam mirabili rerum maximarum ortu ac principio  
prorsus amovenda videatur. Quocirca relinquitur sane id unum, ut  
qui temporum magnarum et insolentium rerum eventibus plenorum  
origines atque caussas attento animo fuerint persequuti, ii denique  
animis suis firmam certamque divini numinis suscipiant opinionem,  
adeoque sibi penitus persuadeant, praeesse utique rebus humanis vim  
rationemque divinam, cuius nutu et arbitrio omnia regantur atque  
gubernentur.

Quemadmodum autem caussae et origines temporum multis gra-  
vibusque rerum conversionibus insignium eam, quam diximus, vim in

contemplantium animis habeant necesse est, AA., ita nec errare videmur etiam *effectus* inde exortos eos esse putantes, qui, ubi ipsos propius intueamur, ita nos moveant et afficiant, ut fieri nullo modo possit, quin potestatis arbitriique divini cogitatio in animis nostris tamquam ultro atque sponte oboriatur. Quod quidem alterum est, unde eam, quam defendimus, sententiam neutiquam a veritate abhorre certius intelligatur. Movent nos fere, AA., atque variis ac multiplicibus sensibus replent pictae tabulae, in quibus expressas cernimus earum rerum imagines, quae insolentio rem aliquam habuerunt fortunae factorumque vicissitudinem, cui illi fuerunt obnoxii, qui iis repraesentati sunt, iisque contemplandis non raro etiam eo deducimur, ut tacita quadam animi divinatione statuamus, fieri non potuisse quin vis quaedam humanis viribus superior eiusmodi casuum varietatem effecerit et adduxerit. Movent nos item fabulae scenicae miram et insolitam fortunae mutationem ob oculos ponentes, quibus saepe ita afficimur, ut non modo in varios maximeque diversos sensus, gaudii ac tristitiae, voluptatis ac doloris, admirationis ac stuporis, rapiamur, verum etiam altius mente animoque evehamur ac divinam potentiam in rebus humanis tamquam praesentem cernere videamur. Quenam vero grandior, quaeso, pictura est, quodnam magnificentius spectaculum, quam eorum temporum, quibus omnia vehementioribus motibus conquassantur, nec tantum singulorum hominum salus ac felicitas, sed universarum gentium atque civitatum fortuna in maxima saepe discrimina adducta cernitur? Enimvero talia tempora nobis profecto eas res spectandas praebent, quarum animadversione vel ii, qui alioquin tardiores vel socordes et ignavi esse soleant, non tantum moveantur, sed penitus tanquam repentina aliqua vi ac tempestate percellantur. Tum enim leges et instituta, quae multorum saeculorum auctoritate sancita et confirmata viguerant, repente abolita ac funditus sublata; tum mores,

qui fuerant diutissime maxima cum religione conservati, praeter omnem expectationem mutati et aliorum inclinati; tum bella ancipiti Marte gesta et saepe in longius tempus protracta, quam publica vel privata civium salus ferre potuisse videatur; tum exorti viri ingentis saepe animi atque spiritus, qui vel in exitium millenorum civium et patriae suae perniciem nati fuisse, vel ii extitisse iudicari debeant, ex quorum sapientia, prudentia, iustitia, fortitudine, virtute denique non modo singulorum hominum innumerabilium, sed etiam multarum civitatum atque regnorum felicitas pependerit; tum vires et opes gentium ac nationum modo opinione citius imminutae atque fractae, modo celerius auctae et ad potentiam antea nunquam expectatam amplificatae; tum denique tanta mentis quasi oculis subiecta casuum mirabilium varietas ac vicissitudo, quantam communis hominum vita, qualis fere pacato rerum omnium statu est, nullo umquam tempore offerre vel potest vel solet. Quid igitur? Quo tandem animo ista omnia ab iis spectatum iri arbitramur, AA., qui non omnem humanitatis sensum deposuerint aut ad rerum gravissimarum animadversionem obtusiores extiterint? Nimirum ut taceamus de ingenti copia ac varietate omnium illorum affectuum, quibus contemplantium animos moveri ac pertentari consentaneum est, misericordiae, odii, amoris, tristitiae, fiduciae, desperationis; in uno certe sensu omnes conveniant plane necesse arbitramur, qui quidem dici non potest quantum eo valeat, ut animi ad divinae potentiae et maiestatis cogitationem traducantur. Sentient enim omnes haud dubie, quanta sit rerum terrestrium inconstantia, fragilitas et infirmitas; sentient item, quam nihil in ista rerum sursum deorsum euntium iactatione valeant humana consilia quamvis callidissime excogitata; sentient denique, si usquam alibi, non sine sacro quodam horrore, quam magna planeque ineffabilis sit illa vis ac potentia, quae quum in tota rerum universitate tum imprimis etiam in vita mortalium domi-

netur. Quo certe adducentur denique in eam sententiam, ut in talium temporum rationibus utique insignia providentiae divinae vestigia extare planissime sibi persuadeant.

Verum enim vero quum consideratio caussarum atque effectuum eiusmodi temporibus priorum vim istam in animis nostris habeat, tum etiam tertium quiddam est, AA., quod si plus etiam ea in re valere arbitramur, nihil videmur affirmare et contendere, quod non facillime possit idoneis argumentis comprobari. Sunt enim etiam *exitus* rerum magnis ac periculosis temporibus gestarum eiusmodi, ut fieri non possit, quin qui eos diligentius consideraverint, denique ad gratam piamque divinae rerum humanarum gubernationis agnitionem deveniant. Etenim intuentes nos accuratiusque considerantes insolitas istas perturbationes atque conversiones rerum omnium tam privatarum quam publicarum, quales tum eveniunt, ita fere solet accidere, ut animis nostris afficiamur similiter atque ii, qui in navi per mare turbidum et inquietum vehentes, ubi vident undarum fluctus altius exsurgentes audiuntque tempestatum ac ventorum diriter saevientium fremitus, continuo omnibus artubus contremiscunt anxieque formidant, ne denique omnia trahant ruinam et maris voraginibus absorbeantur. Emergit enim gravibus periculosisque temporibus utique tanta malorum vis, tanta calamitatum et aerumnarum copia, tanta denique miserrarum omnis generis multitudo, ut facile putemus, illis nihil praeter ea, quae mortalibus tristia ac damnosa fuerint, unquam extitisse, ut plane ad perniciem et exitium generis humani destinata sint. Et tamen nihil est, AA., quod ea opinione fallacius sit aut magis a veritatis rationibus abhorreat. Nam ut vere dicatur, quod nemo bene sanus infitias iverit, omni aevo innumera mala ex turbulentorum temporum iniquitate ac saevitia extitisse, tamen ubi omnem eorum decursum atque exitum attente spectaverimus, certe item fateri debemus, tantas per

ea non modo singulis populis ac nationibus sed universo generi humano allatas esse utilitates, ut mortales, si ea non incidissent, praestantissimis maximisque bonis, quibus fruuntur, perpetuo carituri fuissent. Quod ne magnificentius quam verius dixisse videamur, AA., agite inueniuntur mecum aliquot aetates insolitarum rerum feraciores. Quid igitur? Quis tandem est, cuius animus non vel moerore ac tristitia vel etiam ira et indignatione repleatur, ubi Cyrum illum, potentem dicam an impotentem regni Persici conditorem, animadverterit plurimis populis antea liberis, armorum vi devictis, non modo libertatem suam ademisse sed etiam perpetuae servitutis iugum imposuisse? Nimirum merito dolemus bellorum ab eo gestorum calamitates; dolemus non iniuria praestantissimarum rerum iacturam, quam fecerunt populi ab eo subacti; dolemus denique ac miserabiliter deploramus iniquas fortunae vices, quas multae gentes nationesque tum expertae sunt. Sed nonne tamen exitus istorum bellorum historia teste is fuit, quem rebus humanis omnino faustum ac salutarem extitisse iure contendere liceat? Enimvero effectum illis certe hoc est, ut plurimi Asiae populi olim inter se dissociati aliquando arctiore necessitudinis vinculo coniungerentur eoque ipso ampliores humanitatis et eruditionis fructus consequerentur, quam alioquin fieri potuisset. Percellit porro animos nostros ac tantum non angit ac discruciat impotens veterum Romanorum regnandi libido, qua constat ita evenisse, ut prope universus terrarum orbis, quem ipsi dixerunt, in eorum potestatem ac dominationem cederet, atque multi populi vel opum affluentia vel artium et litterarum studiis vel etiam civilium institutorum bonitate florentissimi in omne tempus opprimerentur. Quippe terrorem ac miserationem animo iniicit tum devictorum innocentia tum vincientium superbia, praesertim quum per eam multa et praeclara deleta et extincta sint, quae ut diutius conservarentur atque iis, a quibus

profecta essent, propria permanerent, iusto iure non tam optandum quam postulandum fuerit. At nonne tamen latius demum propagatis imperii Romani finibus fieri potuisse largiendum est, ut aliquando religionis Christianae beneficia, omnibus bonis terrestribus longe praestabilia illa, per orbem terrarum innotescerent et iis quoque gentibus ac nationibus impertirentur, ad quas ea sine tanta imperii amplitudine vix ac ne vix quidem perventura fuissent? Iam vero terrore ac stupore nescio quo percutimur, ubi aliquot saeculis post, religione Christiana per plurimas orbis terrarum partes propagata, ingens illud Romanorum imperium, multis magnisque opibus olim firmatum atque munitum, rursus videmus labefactari et convelli, usque dum denique a gentibus barbaris et omnis humanitatis expertibus funditus evertitur. Quis enim est quem non misereat tam tristis et acerbae fortunae, qua potentissima quondam orbis terrarum domina, Roma, iam miserabiliter humi prostrata iacet, et ita iacet, ut ne umbram quidem pristinae magnitudinis suae reliquisse videatur? Verum enim vero ubi diligentius consideraverimus, quid inde postea sit consequutum, facile certe consolabimur dolorem ex tantis rerum iniquitatibus et asperitatibus animo susceptum. Quippe everso Romanorum imperio non modo desiit aliquando impotens eius populi dominatio, qui praecipiti cursu a pristina virtute desciverat et ad turpissima vitia degeneraverat, sed etiam novarum civitatum condendarum opportunitas data est, in quibus aliquando integrior virtus auxiliante maxime Christianae religionis disciplina novas radices ageret et laetius effloresceret. Sed dies nos deficiat, AA., si omnia lustrare velimus, quae rerum gestarum memoria exhibet huius rei documenta. Unum tamen ut iis, quae adhuc memoravimus, adiiciamus neque plane praetereamus silentio, haec ipsa sacra anniversaria monere ac paene postulare videntur. Quippe perniciosum sane ac funestum fuit tempus illud, quo duobus abhinc



saeculis de rebus ad ecclesiam religionemque Christianam pertinentibus decertatum est. Cuius quidem temporis tristitiam, eheu, quis est qui sine horrore meminerit, si quidem reputaverit, quanta tum vulnera quam aliis Europae civitatibus tum maxime miserae patriae nostrae inflicta sint? Et tamen nemo iam facile reperietur, quin ultro ac lubenter fateatur, non nimis caro pretio redemptum fuisse bonum illud, de quo illa aetate certamen fuit, religiosam dico libertatem; cuius sapiens usura quantum et superioribus saeculis profuerit, et futuris quoque temporibus porro profutura sit, certe inde intelligitur clarissime, quod prudentissimi quique et praestantissimi viri hodie quoque illius perpetuitatem et continuationem intimo pectore exoptant eiusque possessionem in maximorum bonorum, quibus nunc perfrui mur, numero habendam arbitrantur. Enimvero ita est, AA.: etiam exitus gravium ac turbulentorum temporum utique ii solent esse, qui animos nostros ad piam religiosamque divinae rerum humanarum gubernationis vel agnitionem vel venerationem facile permoveant et convertant. Nam quum ea per se tristia, misera, denique luctuosa videantur plurimumque mortalibus malorum importent, tamen item tantum commodorum vitae communi afferunt, ut eo quoque nomine facile assentiaris Chrysippo Stoico, qui docte graviterque fertur disputavisse, vim copiamque malorum esse quidem maximam, sed eandem esse item maximum providentiae divinae argumentum. Evincitur enim luculentissimis historiae testimoniis, per illa una maxime effici, ut vita hominum tam privata quam publica maximis ornamentis condecoretur, quae ipsi alioquin vix possent ullo modo obtingere. Nimirum quod in rerum natura graviores procellas ac tempestates efficere compertum habetur, ut quantumvis horribiles sint et cum ingenti saepe sylvarum atque segetum strage coniunctae, tamen aërem reddant puriorem ac salubriorem atque vim vitalem plantarum, arborum, et animalium aliquando reficiant atque resuscitent, idem certe

in communi hominum vita valent temporum turbulentorum et periculorum commutationes. Est enim eorum vis et efficacia sine dubio haec, ut populi atque gentes per eas fere a labe per saeculorum decursum contracta rursus repurgentur et quasi expientur; ut ab inveteratis superstitionibus ac praecudicatis opinionibus, quibus animi saepe diutissime tenentur tamquam diris quibusdam vinculis constricti, aliquando liberentur; ut remotis publicae privataeque felicitatis impedimentis gravissimis ac vulgo pro inexsuperabilibus habitis singularia saepe eaque potentissima salutis communis adiuvandae atque augendae praesidia nanciscantur; denique ut ex veterano, si quo sepulti erant, denuo excutiantur, excussique novas rursus vires atque spiritus assumant, quo possint *multa vivendo vitalia vincere saecula*. Quibus rebus omnibus num quid putabimus non dicam singulis populis ac civitatibus, sed universo generi humano reperiri salutaris aut exoptatus?

Quum igitur haec sit temporum gravium ac turbulentorum ratio, ut manifesta referant vestigia divinae rerum humanarum gubernationis, viri sapientes certe minime dubitabunt, quid ipsis, si quando tales incidant rerum perturbationes, quales nos quoque praeteriti anni spatio exoriri vidimus, in omni vita sua sequendum sit. Non enim illi protenus de communi hominum salute desperabunt aut abiectis animis anxiae de futuro tempore curae ac sollicitudini indulgebunt, sed vel in mediis temporum procellis tranquilli, fortes et constantes manebunt, propterea quod sciunt planeque sibi persuaserunt, quidquid eveniat, id divino evenire consilio, neque nunquam ita fieri, ut quae sunt vera hominum bona suoque nomine digna, ea per rerum terrestrium vicissitudines evanescant aut de medio auferantur. Quocirca ita potius apud animum suum statuent, ut sibi per ipsas temporum adversitates maiorem quandam existiment recte fortiterque faciendi opportunitatem oblatam esse, quandoquidem quo maiora virtuti, sapientiae, eruditioni,

humanitati instant pericula, eo magis officium postulat, ut iis boni et honesti viri omnibus viribus patrocinentur. Quod quidem etiam nos, AA., ita nobis persuadeamus, ut sortem nostram ne tum quidem poenitentiam fore putemus, si vel graviores casus, quam quos adhuc experti sumus, nobis immineant. Quamquam enim felices praedicandi sunt, quibus licuit usque cum otio et quiete aetatem degere et ab iniquorum temporum curis ac sollicitudinibus liberis vitae munere fungi, quo nomine gratulandum est etiam iis, quos nobis atque huic scholae nuper acerbo fato ereptos merito etiamnum lugemus, Christiano Godofredo Klinkhardto, sacrorum ad aedem Thomanam ministro vere venerabili, Carolo Henrico Brennero et Carolo Ferdinando Haltausio, magistris huius scholae quondam religiosissimis et de iuventutis educatione meritissimis, quorum grata memoria inter nos certe nunquam interibit; tamen nec nos felicitate egebimus, siquidem nobis contigerit, ut inter vitae communis adversitates strenue fortiterque ea bona defendere ac tueri liceat, quorum possessione atque usu vitae humanae dignitas atque praestantia maxime absolvitur. Agite igitur, eam induamus mentem, ut auxilii divini spe ac fiducia freti, quidquid Deus aut facere nos aut perpeti iusserit, prompto, forti et constanti animo suscipiamus, quo, si quando nobis hinc decedendum erit, in actuosa hac atque motus plena vitae humanae fabula partes nostras recte et laudabiliter peregissemus reperiamur. Dixi.

in communi hor-  
 sorum commuta-  
 ut populi atque  
 contracta rursu  
 stitionibus ac p  
 tenentur tamqu  
 rentur; ut rem  
 simis ac vulgo  
 potentissima s  
 nanciscantur;  
 executiantur, e  
 quo possint ma  
 bus num quid p  
 universo generi

Quum igitur  
 ut manifesta re  
 viri sapientes  
 incidant rerum  
 spatio exoriri  
 illi protenus d  
 animis anxiae d  
 vel in mediis te  
 bunt, proptere  
 eveniat, id div  
 sunt vera homin  
 vicissitudines e  
 apud animum s  
 maiorem quand  
 oblatam esse, q

© The Tiffen Company, 2007

**TIFFEN** Gray Scale



atorum et periculo-  
 cia sine dubio haec,  
 eculorum decursum  
 b inveteratis super-  
 ni saepe diutissime  
 eti, aliquando libe-  
 impedimentis gravis-  
 alaria saepe eaque  
 augendae praesidia  
 pulti erant, denuo  
 spiritus assumant,  
 Quibus rebus omni-  
 ac civitatibus, sed  
 tatus?

urbulentorum ratio,  
 arum gubernationis,  
 s, si quando tales  
 que praeteriti anni  
 um sit. Non enim  
 rabunt aut abiectis  
 ni indulgebunt, sed  
 et constantes mane-  
 naserunt, quidquid  
 n ita fieri, ut quae  
 r rerum terrestrium  
 Quocirca ita potius  
 porum adversitates  
 ndi opportunitatem  
 rientiae, eruditioni,





